

De terra Fornacum. CAP. CLXXIX.

FORNACVM terra, quæ quidem retorta rufefcit, eiusdem est cum testis effectus.

De terra Melia. CAP. CLXXX.

IMITATVR & Melia colore cineream Eretriam: aspera autem animaduerritur, etiam dum digitis atteritur, adeo vt stridorem quandam edat, quale m pumex quando deraditur. Vinum habet aluminosam, sed remissiusculam: id quod & gustu deprehenditur. Leniter quoque linguam tactu siccatur. Corpus mundum ac probe coloratum reddit: pilos extenuat: vitiligines ac lepras extirpat. Pictoribus etiam vsum præbet, vt colores diutiùs perennent. Emplastris viridibus efficaciter inseritur. Porro tum ex hac terra, tum & alia omni in vniuersum eligi debet minimè lapidosa, recens, mollis ac friabilis, quæque cum humorem attigerit; facillè resoluitur.

De terra Ampelide.

CAP. CLXXXI.

EX Ampelide terra, quam Pharmacitiri quidam nominant, quæque in Seleucia Syria nascitur, laudatur imprimis nigra & paruos piceos carbones referens, assulosè quodam modo scissilis & æqualiter splendens: quæque insuper trita citò liquefcit, si olei aliquantulum affundatur. Vitiosa censetur candida,

didā, cinerea, quæq; minimè liquefcit. Vim diffipandi & refrigerādi habet: calliblepharis additur, atque inficiendis capillis idonea est. Est & eius vſus ad illinendas vites ſubgerminationis tempus: quippe quæ inaaſcentes vermiculos enecer.

De Fulgine pictoria.

CAP. CLXXXII.

FVLIGO qua pictores vtuntur, è vitrariis officinis peti ſolet: ſiquidem huic palma tribuitur. Vis ei ſeptica & acris. Fracta itidē cum cerato roſaceo ad cicatricem perducit.

De Atramento librario.

CAP. CLXXXIII.

ATRAMENTVM quo ſcribimus, è fuligine ex tædis collecta conficitur. In ſingulas gummi vncias, ternæ fuliginis vnciæ adiiciuntur. Fit etiam è reſinæ fuligine & illa pictoria modò dicta. Sumi autē oportet fuliginis huius minam vnam, gummi ſequilibram, taurini glutinis & atramenti ſutorij, ſingulorum ſcunciam. Septicis medicamentis conuenienter additur. Ambuſtis etiam confert ex aqua paulò craſſius inunctum, tandiūq; dimiſſum, dū cicatrix obducatur: ſanatis ſiquidem vlceribus, ſponte ſua excidit. Cæterum, amiciffime Aree, tum pro operis modo quem deſtinaueramus, tum pro materiæ auxiliiorūque medicina;

Ri. ij.

lium copia quam colligere licuit, hucusque
dicta sufficiant.

Libri quinti & vltimi de materia
medica finis.



PEDACII DIO-
SCORIDIS ANAZAR-
bæi liber de Venenis, eorun-
démque præcautione ac
medicatione.

IANO ANTONIO SARACE-
NO LVGDVNAEO, INTERPRETE.

PRÆFATIO.



*Q*VONIAM superioribus libris,
amicissime Aree, tradidimus
de aromatibus, oleis, unguentis,
arboribus ac earundem fructibus
& lacrymis, insuperque de ani-
malibus, melle, lacte, seno, fringi-
bus, oleribus, radicibus, herbis, succis; demique de vi-
norma